

Dissertatio medica inauguralis, de viribus naturae medicatricibus : quam, annuente summo numine : ex auctoritate reverendi admodum viri, D. Georgii Baird, SS.T.P. Academiae Edinburgenae Praefecti : necnon amplissimi senatus academici consensu, et nobilissimae facultatis medicae decreto : pro gradu doctoratus, summisque in medicina honoribus ac privilegiis rite et legitime consequendis / eruditorum examini subjicit Gulielmus Pultney Alison, Scotus.

Contributors

Alison, William Pulteney, 1790-1859.
Royal College of Physicians of London

Publication/Creation

Edinburgh : C. Stewart, 1811.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/baqqb9vm>

Provider

Royal College of Physicians


License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by Royal College of Physicians, London. The original may be consulted at Royal College of Physicians, London. This material has been provided by Royal College of Physicians, London. The original may be consulted at Royal College of Physicians, London. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



(0)

D2158-f-5

64






Digitized by the Internet Archive
in 2016

<https://archive.org/details/b28518330>







DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
VIRIBUS NATURAE
MEDICATRICIBUS.

ROYAL COLLEGE OF PHYSICIANS
LIBRARY

CLASS

61

ACCN.

22552

SOURCE

DATE

ROYAL COLLEGE
OF
PHYSICIANS
OF
LONDON

3

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
VIRIBUS NATURAE
MEDICATRICIBUS;
QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;
NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU;
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;
Pro Gradu Doctoris,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
GULIELMUS PULTENEY ALISON,
SCOTUS.

Τροφίλος ἰατρός ἐρωτηθεὶς, τίς ἂν γένοιτο τέλειος ἰατρός· ὁ τὰ δύνατα, ἴφη,
καὶ τὰ μὴ δύνατα δυνάμειος διαγινώσκειν.

STOBÆUS Loc. Com. Sermo 244.

Prid. Id. Septembris horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT C. STEWART,
Academiæ Typographus.

MDCCCXI.

265

280

DISSERTATIO MEDICA

INAMURABILIS

DE

VIRIBUS NATURALIBUS

MEDICATIBUS

QUAE

AUCTORE JOHANNI WILHELMO

PHYSICO-MATHEMATICO DOCTORE

ET GEORGIO WILHELMO

PHYSICO-MATHEMATICO DOCTORE

PHYSICO

ET MATHEMATICO DOCTORE

ATQUE PHYSICO-MATHEMATICO DOCTORE

JOHANNI WILHELMO

PHYSICO-MATHEMATICO DOCTORE

ATQUE PHYSICO-MATHEMATICO DOCTORE

PHYSICO-MATHEMATICO DOCTORE

GUILLIELMO WILHELMO

PHYSICO

PHYSICO-MATHEMATICO DOCTORE

ATQUE PHYSICO-MATHEMATICO DOCTORE

PHYSICO-MATHEMATICO DOCTORE

PHYSICO-MATHEMATICO DOCTORE

PHYSICO-MATHEMATICO DOCTORE

PHYSICO-MATHEMATICO DOCTORE

PHYSICO

PATRI SUO CARISSIMO,


AMICO PRIMO, ATQUE OPTIMO,

ARCHIBALDO ALISON, L.L. B.

STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS VULT

AUCTOR.



AVUNCULO SUO DILECTISSIMO

JACOBO GREGORY, M. D.

MED. PRACT. IN ACAD. EDIN. PROF.

ET

PRECEPTORI ILLUSTRISSIMO,

DUGALDO STEWART,

EJUSDEM ACAD. ETH. PROF. EMER.

VIRIS INTER SE,

ET FAMA ET AMICITIA,

CONJUNCTIS ;

FELIX, SI SUOS ETIAM AMICOS

DICERE LICEAT ;

HOC MUNUSCULUM,

GRATI ANIMI TESTIMONIUM,

D. D. D.QUE

AUCTOR.

CORRIGENDA.

- P. 4. lin. 4.—*Pro viris lege vis.*
P. 5. lin. 11.—*Pro virem lege vim.*
P. 10. lin. ult.—*Pro morborum lege morbum.*
P. 34. lin. 4.—*Pro Altera lege Altera.*
P. 48. lin. 6.—*dele comma post 'conatus.'*
P. 62. lin. 1.—*Post morbis insere 'tamen.'*

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
VIRIBUS NATURAE
MEDICATRICIBUS.

Ex inquisitionibus pathologicis, ut mihi videtur, satis constat, morbum non statum esse corporis unicum et definitum, a causa unica et definita pendentem, sed seriem et ordinem mutationum. Vix, aut ne vix quidem, exempla ulla citare possumus, ubi effectus primus, causis remotis insequens, pro causa omnium symptomatum habendus est. Mutationes multae, in corpore effectae, quae inter morbi accessionem, et finem, intercedunt, se extrinsecus indicant, vel indicare possunt. Symp-

tomata itaque alia aliis eventis talibus referenda ; nonnulla quidem actioni proximae causarum remotarum.

De hac re, ut opinor, nemo dubitare potest, qui doctrinis auctorum maximi nominis, temporibus saltem recentioribus, de causis proximis morborum animum attenderit. In nullo fere exemplo causa una et simplex ad rationem reddendam sufficere existimatur ; sed series assumitur causarum et effectuum, sese invicem sequentium.

Quanquam, igitur, morbus quisque lethalis a causa sua proxima provenire vulgò accipitur, et mors aegri ab eo ; rectius erit, ni fallor, dicere, morbum, vel ab initio, actioni causae externae deberi—mortem vero, mutationibus in corpore e quibus ille constat. *

* Observandum est, etiam, causam proximam, et morbum ipsum, haud semper accuratè distingui. Si quidem morbus symptomatibus consistere ducitur, facilè diagnos-

Seriem autem mutationum quae morbum constituunt, in duos ordines facile videtur disponere. Aliae enim a statu salutari discedere, aliae in eundem revertere, planè perspi-ciuntur. Morbi fere omnes saepissime amoven-
tur, nullo adhibito remedio cui talem e-
ventum tribuere possumus. Referebatur, ita-
que, a scriptoribus Graecis de re medica, ac-
tioni virium corpori ipsi insitarum; atque
his viribus postea datum erat nomen “ Vires
“ Naturae Medicatrices.”

Concessa re, de verbo disputare inutile for-
san videtur. In omni autem scientia exper-
tum est, a nominibus malè appositis errores
maximos profluxisse. “ Credunt homines ra-
tionem suam verbis imperare; sed fit etiam
ut verba vim suam super intellectum re-
torqueant.”

cuntur. Si verò symptomata a morbo separentur, nequa-
quam hic a causa sua discriminatur.

Quanquam mutationes quas in natura conspicimus sine ulla vi efficiente accidere nequaquam credere possumus, de natura tamen viris efficientis penitus ignoramus, neque rationem videmus quidquam de ea sciendi, praeter leges secundum quas agit. Atque profecto his legibus investigandis versatur omnis physica scientia. Quamobrè mutationes illas, *quasi a lege provenientes*, potius quam a *vi excitatas* tractare praestat, saltèm dum agitur res physica.

Si, quidem, caeteroquàm perfecta doctrina morborum, *desideratum* relictum fuisset de origine motuum quibus probatus fuerit pendere exitus secundus, id est, si nulla ratio perspecta fuisset disponendi eas sub legibus generalibus quibus inservit corpus humanum, liceret referre hos motus *principio cuidam morventi*, legibus generalibus corporis haud subjecto: frustra enim ullam physicam relationem exquirere inter ipsa phenomena conaremur, quae

nihil habent commune nisi causam finalem. Atque tale principium movens non malè *vis* appellaretur.

Quoniam verò, ut res nunc se habent, motus qui ad salutem tendunt prorsus inexplicabiles judicare nondum fas est, nonnullis huic ordini relatis quodammodo jam explicatis, appellatio, me iudice, perperam adhibita est. Quum agimus de vi, excitante motus nullae legi referendos, philosophiam prorsus derelinquimus. Nam philosophia *unam* tantum virem moventem agnoscit, atque, quibus inservit haec, *legibus* investigandis versatur. “Principium sumendum a Deo;” inquit Bacon, “In operationibus autem divinis initia quaeque tenuissima exitum *certò* trahunt. Atque quod de spiritualibus dictum est, regnum Dei non venit cum observatione, id etiam in omne maiore opere providentiae divinae evenire reperitur*.”

* Nov. Org. Lib. 1. Aph. 93.

Nomen de quo agitur, cum in Physiologia usurpatur, significationem longè aliam habet ac in aliis philosophiae provinciis. Significat enim *functionem vivi corporis*, cui inservit organum aliquid, vel organorum apparatus. Hoc sensu loquimur de viribus vitalibus, animalibus, naturalibus. Utrum benè, an malè, usurpatur nomen in hac scientia, non nostrum est quaerere. Nemo autem contendet, Vires Naturae Medicatrices, ut vocantur, similes esse iis de quibus in Physiologia agitur. Ad vitam conservandam omnium functionum opus est. Mutationes in iis morbis effectae admodùm sunt variae. Absurdum itaque foret expectare, uno ordine motuum eam contra aggressus morborum omnium, non semper lethaliū, defendi posse. Atque causam tuentem oportet quaerere nunc actione unius, nunc autem alterius functionis, pro natura morbi. “Naturae Viribus vulnera sanantur, sanguinis fluxus compescitur, ossa diffracta coalescunt, multa noxia

a corpore rejiciuntur; et sic quae nulla ars attingere potuisset mala sine ope externa sua sponte evanescunt*.” Satis liquet effectus tam varios nequaquam contingere posse, nisi a variis causis; neque dubium videtur, Vires Naturae Medicatrices in hoc tantum conspirare, quod omnes valetudinem reficiunt.

His pro causis, verae philosophiae magis consentaneum esse duco, de processu, sive cursu, naturae in morbis singulis sanandis disserere, quam de sua vi. Et huic argumento insistere majoris esse momenti censui, quia errores haud leves, ni fallor, ab eo praetermisso orti sunt, uti mox ostendere conabor.

Si inaccuratè appositum fuerit nomen, haud mirandum est diversos auctores de

* Consp. Med. Theor. § 61.

re ipsa diversè statuisse. Nonnulli, cum de Vi Naturae Medicatrice disserunt, rem observatam solummodò commemorant ; alii autem causas quibus haec debetur eo nomine se exposuisse putant ; alii paucas tantum ex his causis sic appellant ; sunt denique qui “ principium quoddam in corpore insitum, sensu et existimatione eorum quae sunt et fiunt extra corpus imbutum ” eodem ferè nomine designant.

Perspicuum est, Vires Naturae Medicatrices rectè agere praedicari exemplo unoquoque, ubi, sine ope externa, evanescit morbus ; causas igitur omnes quibus hoc debetur, eo nomine rectè appellari. Quales autem sunt hae causae ? an eventis quae praecedunt legitimè insequuntur, an principio ignoto profluunt, et leges sibi proprias agnoscunt ? Hanc quaestionem resolvere oportet, antequam usum practicum notitiae quam habemus de iis exponere progrediar.

Hoc consilio, imprimis enarranda sunt quae statuere celeberrimi auctores, tum recentiores, tum quoque veteres, de natura causarum quibus debetur sanatio morborum naturalis; deinde autem exponenda sententia de hac re quam approbatione dignam censeo. His peractis, utilitatem et ad medicinam practicam accommodationem totius inquisitionis, facilius erit ostendere.

Opiniones omnium qui de Viribus Naturae Medicatricibus scripserunt medicorum nequaquam exponere suscipiam. Opus esset immensi quidem laboris, at parvae utilitatis. Satis erit si ex aliorum doctrinis adducamus quod sufficiat ad nostram stabiliendam; neque hoc, ut mihi videtur, difficile est.

HIPPOCRATES omnes morbos conditioni mutatae humorum tribuebat. Causae remotae vel externae, secundum illum, statum naturalem eorum conturbando effectus suos edunt. Hoc

fit, vel aucto, vel imminuto, vel depravato, vel male disposito, sanguine, pituita, bile atra, aut bile flava.

Credebat insuper principium quoddam corpori inesse, quod *φύσιν* nominabat, et varias *δυνάμεις*, vires seu facultates possidere putabat, quibus motus totius corporis dirigit, functiones gubernat, ea quorum opus est suppeditat. Hoc principium, ut censebat, quia toti oeconomiae animali praeest, morborum invasioni necessariò occurrit, quippe quae eam oeconomiam conturbat; id quod praecipue molitur coctionem (*πέπσιν*) humorum efficiendo, quo facto, pars nocens e corpore per *crisin* ejicitur, et humores ad conditionem salutarem redeunt.

Finem morborum exitiosam tribuebat impotentiae naturae, *crisin* perfectam efficiendi. Et in quibusdam exemplis, natura, ut putabat, aliquid efficit, sed morborum pe-

nitùs depellere nequit. Tum evenit crisis imperfecta, sive cruda humorum detractio *.

Ab Hippocrate, de hac re, magnopere dissentiebat ASCLEPIADES, ut testatur Caelius Aurelianus. “Dicit omnia fieri necessitate, et nihil sine causa, et neque naturam aliam esse quam corpus, vel ejus motum. Deinde, inquit, non solum prodest natura, sed etiam nocet†.”

GALENUS, autem, hic ut alibi, doctrinis Hippocraticis assentiebat. “Si l’on demandoit, quel est le premier mobile de toutes ces facultés, Galien repondoit, avec Hippocrate, que c’est la nature.”—“Les haemorrhagies, les sueurs, les diarrhées, qui terminent heureusement les maladies, ne sont pas des symptômes. Ces sortes d’évacuations sont consi-

* Vide Le Clerc, Hist. de Med. Part I. Liv. 3. chap. 5,

† Acutor. Lib. 2. cap. 14.

derées par Galien, comme un ouvrage de la nature, qui a surmonté la maladie, et qui la finit par un *crise* *.”

Vix opus est dicere, doctrinas Hippocratis et Galeni de hac re ut de aliis, auctoritatem summam tenuisse usque ad ortum scholae chemicorum, trecentis circiter abhinc annis. Per quindecim ferè secula medici vel doctrinam omnem protinùs abdicasse, vel in verba Hippocratis, Galeni, Aristotelis, seu Avicennae, quasi jurasse videntur.

PARACELSUS, et sectatores sui adeo intenti erant in facultates et vires remediorum quae in medium protulerant, ut animos vix adverterent curationibus ante oculos indies obversatis, sine ullo remedio effectis.

VAN HELMONT, ni fallor, primus erat chemicorum qui phaenomenis de quibus agitur

* Le Clerc, &c. Part III. Liv. 3. cap. 3.

animum attendebat. Archaeus ab eo celebratus a Natura Hippocratis et Galeni paullo discrepabat. Hunc autem Archaeum non solum actiones corporis in salute, et in morbis depellendis, gubernare censebat; sed primam originem morborum, multis exemplis, huic tribuebat. “ Archaeus diversimode commotus, indignatusque, format deinceps morbos *.”

Neque intelligentia tantum Archaeum praeditum esse statuebat, sed aliis etiam animi affectibus. “ Causa immediata tam materialis, quam efficiens, veri hydropis, est Archaeus renum *errans*, quatenus scilicet exorbitat ac in furorem velut percellitur a causa occasionali, ideam gignit sive speciem, quam ipse insitus renum Archaeus *contumax* fovet atque alit; per quam scilicet non, aut vix, separat urinam, aut cura illi incumbit sui officii, sua eve des-

* Ort. Med. Magn. Oport. 53.

tionis. Imo nec solum sua munia praeterit atque negligit, quin etiam *furiosus* dimittit laticem in abdomen, ut sui velut inter necionem procuret *.”

Longe aliam de Viribus Naturae doctrinam tenebant Iatro-mathematici, scilicet qui res observatas tantum, aut argumentatione ut putabant comprobatas, ad rationem morborum reddendam admittebant, et omnes corporis actiones mechanicè fieri censebant. “ Per materiae et motus mutationes in corpore vivente oriuntur morbi omnes. Morborum omnium curatio per materiae et motus mutationes, ritè factas, institui debet. Hae mutationes, sive in bonum, sive in malum, non nisi juxta leges certas mechanicas fiunt†.”

* Ibid. Ignor. Hydr. 20.

† Pitcairn. Elemen. Med. Prop. 84. et seq.

Clarissimus SYDENHAM, quanquam omissa omni Theoria Medicinam tractare professus esset, vel in prima sua sententia morbos omnes ab actione virium naturae medicatricium originem ducere affirmabat. “ Dictat ratio, si quid ego hic judico, morbum, quantumlibet ejus causae humano corpori adversentur, nihil aliud esse quam naturae conamen, materiae morbificae exterminationem, in aegri salutem, omni ope molientis *.”

Opiniones de Viribus Naturae quas docebant STAHL, ejusque sectatores, in ordines tres disponere liceat.

1. Omnes actiones corporis, in Physiologia sive Pathologia comprehensas, quas principio ignoto, Archaeo sive Naturae appellato, tribuerant alii auctores, ab anima ipsa rationali effici statuebant. “ Quae nempe est praeci-

* De Morb. Acut. p. 1.

pua utilitas totius illius scrutinii, et tandem fundatae cognitionis, quod motus vitales administrentur et exerceantur activè ab *ipsa anima*, et sint vere organici actus, a causa agente superiore, in corporeis instrumentis instituti.” *

“ Incipiam itaque ab anima, quae cum animalibus divinitùs insita sanitatem corporis tueatur, motus salutes instituat, morborumque judicationes vel protrahat, vel perficiat, cum in corpore spiritus sit omnia regens, et gubernans, primum locum et principatum in medicis disquisitionibus jure sibi vindicat.” †

2. Quando causa quaevis morbifica externa corpori admota fuerit, ad eam expellendam vel superandam motus abnormes ab anima excitari censebant ; quos igitur motus, quan-

* Medic. Dogmatico-Systematica, p. 325.

† Nichols, de Anima Medica, p. 7.

quam bonam partem morborum vulgo constituere putantur, tamen a causis morbi remotis tanquam provenientes nequaquam habere oportet.

“ Vera morbi directa symptomata ab incommodis synergiae vitalis, morbi adversantis, comitibus, maximo jure discerni merentur *.”

“ Homo moritur non morbo simpliciter, sed solum ob malum successum vitalis resistentiae †.”

3. Motus ita excitatos exemplis innumeris ad morborum curationem ipsos valere, in omnibus vero summa remedia existimanda esse, docebant.

* Med. Dogmatico-Systematica, p. 47.

† Carl. Hist. Med. cap. 2.

“ Immensum interest medici, ut hanc naturae energiam perspectissimam habeat, et se potius illi *συνεργον* esse debere agnoscat, quam illam sibi *.”

Theoriae Stahlianæ de causis quibus restitutio sanitatis debetur, adversabatur celeberrimus HOFFMAN. Concedebat quidem institutis naturae morbos saepissime depelli, sed negabat hoc fieri interpositione, vel animae rationalis, vel cujusvis alii principii sensu et intelligentia imbuti, et huic officio solummodo destinati; omnesque in morbis observatas mutationes a causis remotis originem pariter ducere credebatur. Discriminis inter duas has doctrinas specimen luculentum prae-buit Hoffman ipse, de febribus agens.

“ Ille affirmat motus extraordinarios febriles a principio quodam intentionali et di-

* Medic. Dogm.-Syst. p. 339.

rigente, motu et sensu insito praedito, suscitari; nos vero hos motus pure mechanicè * fieri, a causis nempe mere physicis, *i. e.* corporeis, motus hos producentibus, nulla interveniente morali estimatione, sed ex physica inevitabili necessitate, adeo ut his positis causis proportionatis, sequi etiam necessario debeant febriles effectus seu motus †.”

Sententiam Hoffman in dubium vocabat GAUBIUS. Phaenomenis quae a nobis tractantur magis certe incubuerat quam praeceptor suus clarissimus Boerhaave; neque infestus erat (ut notavit Cullen) doctrinae quae imperio animae ea subjicit. Postquam naturae vires maximi esse momenti in medicina facienda ostendit, “ Verum de illa,” inquit, “ acriter disceptatur, ex quonam hominis

* Significat proculdubio, non organicè, sive secundum leges usitatas corporis.

† Comm. de Diff. &c. § 135.

principio ea omnia profluant, utrum pars corpori, pars menti, anne huic solae debeantur universa.”——“ Potius sane illorum esse argumentum dixeris, qui utroque hominis principio suum inesse agendi vim contendunt, si cogites *,” &c.

Potentiam certe activam motus salutare inducentem, et actioni potentiarum nocentium adversantem, corpore inesse existimabat, atque huic varia phaenomena, morbida vulgo arbitrata, referebat.

“ Inest profecto sua naturae humanae virtus pervigil, quae vitae et sanitatis sui corporis conservationi perpetuo studens, his necessaria procurat, nocitura repellit. Inde motus spontaneos atque molimina in aegris animadvertere licet, nec causae morbi, nec adhibitis quibusvis demum remediis adtribuenda, quae

* Pathol. § 646—8.

tam aperte in salutem tendunt, ut data opera aptius excogitari aut felicius dirigi non potuisse videantur *."

De sententia circa hanc rem quam tenebat clarissimus CULLEN, judicare a scriptis suis difficile videtur. Doctrinae quidem animae administrationis ex professo adversabatur (Vide First Lines, Pref. p. 9. Physiology, § 122.) Invitus quoque, in ratione morborum reddenda, Vires Naturae unquam admittebat. "Although the Vis Naturae Medicatrix must unavoidably be received as a fact; yet, wherever it is admitted, it throws an obscurity upon our system." De causis quoque Epilepsiae quae cerebri energiam imminuunt agens, eandem sententiam protulit. "I use the term only as expressing a fact, and would not employ it with the view of conveying an explanation of the manner in which

* Ibid. § 51.

the powers of Collapse mechanically produce their effects*.”

In Theoria sua, tamen, Febris (§ 38, 39, 41—3, et 59), Inflammationis (§ 244), Rheumatismi (§ 458), Arthritidis (§ 533), et Haemorrhagiae (§ 745), Vim Naturae Mediatricem potentiam activam seu causam efficientem esse vult, ipsamque in actione excitatam, sua vice, mutationes insequentes producere statuit. Quomodo hae tam diversae sententiae componendae sint, peritis judicandum relinquo.

Opinionibus Medicorum, auctoritate certe gravissimorum, de origine motuum salutarium in morbis, jam recensitis, proximum est ut de his judicium fiat, et decernatur, utrum potentiae cuidam, huic officio solummodò

* First Lines, § 1299.

destinatae, referri debeant, an causis ipsis morborum et mutationibus ab iis inductis, secundum leges usitatas corporis viventis.

Hac de re, doctrinam quam tuebantur Asclepiades inter veteres, et Iatro-mathematici et Hoffman inter recentiores, illi cui favisse videntur Hippocrates, Galenus, Van Helmont, Sydenham, Stahl, Gaubius, et ipse Cullen, anteferre haud dubito.

Antequam, autem, ad hanc doctrinam defendendam progrediar, quaestionem verè propositam ab alienis distinguere oportet, quibuscum, ut mihi videtur, implicari solet.

“ Το ἐνορμῶν, Ψυχη, Archaeus, Spiritus Animales, Natura—His et aliis vocabulis,” ait Heberden, “ usi sunt medici ad designandum principium illud vitae, sive incognitam ἐνεργεῖαν, qua animantia ab inanimatis distant.”

Hoc principium vitale, quod in genere nervoso insitum esse creditur, ad omnes actiones, quae in corpore fiunt, et inter alias ad eas ipsas mutationes a statu morboſo in ſanum de quibus agitur, neceſſarium eſſe, non ſolum vera eſt propositio, ſed ferè tautologia. Si enim illud definire aggrediamur, haec ex eo pendere neceſſariò teſtemur.

Phaenomena igitur quae obſervantur cum ſanum fit corpus, antea morbidum, quodam ſenſu, ab hoc principio vitali effici, haud negandum eſt. Nihil autem proficit haec notitia. Nam eodem ſenſu, phaenomena quae obſervantur cum morbidum fit corpus, antea ſanum, originem ducunt ab eodem principio vitali.

Neque accuratè, me iudice, ratiocinantur, qui hoc principium, in genere nervoſo inſitum, intelligentia praeditum eſſe contendunt, et actiones corporis adminiſtrare, vel corporis

necessitatibus subvenire, idoneum faciunt. Satis constat a sapientissimo Auctore Principium illud in corpore insitum fuisse. Sed ad Theologiam naturalem pertinet haec contemplatio, non ad medicinam. Functiones animales vulgo appellatas, quae ab eo proximè pendere videntur, non magis directè a consilio provenire duco, quam mutationes in corpore ope chemiae maxima ex parte explicandas.

Motus salutares in morbis de quibus agitur, consilium sine dubio indicant; sed haec res nequaquam, ut mihi videtur, rationem dat, cur effecta proxima actionis principii vitalis semper existimentur. Cum rebus quibuscunque observatis potius ordinandae sunt, quibus ullam physicam convenientiam sive conjunctionem habere videantur.

Quae nunc dixi contra scripta Hippocratis, et Galeni, et Helmonti, de Natura, sive Archaeo, praecipue diriguntur.

Theoriae Stahlianæ de administratione ipsius animæ refutatio, ut mihi videtur, prorsus inutilis et supervacanea foret. Si enim, ut docent philosophi maximi nominis, conscientia nostra sola sit idonea cui crederetur de operationibus partis nostrum incorporeæ, in vera philosophia locum nequaquam tenere debet hæc hypothesis*.

Doctrina autem, ab auctoribus multis, supra memoratis, prolata, scilicet quæ motus

* Sunt, quidem, ut bene notavit Gaubius, phaenomena quaedam in morbis observata, et ad exitum secundum conducentia, affectionibus animæ sine dubio referenda. Hæc vero voluntatis imperio haud sunt subjecta. In his producendis mens omnino passiva est. Effecta igitur mente inducta, censeri debent, utrum vero causis corporeis, necne, suis propriis argumentis dijudicanda est quaestio.

salutares in morbis observatos, actioni vis, seu potentiae medicatricis tribuit, neque aliam causam physicam quaerit, neque aliam existere innuit, inquisitionem ampliorem poscit.

Duobus tantum modis, ut mihi videtur, talem sententiam, in exemplo quovis, interpretari possumus.

Juxta interpretationem *primam*, et in pluribus exemplis sine dubio veram, auctores illi principium quoddam movens, ἐξ ἑαυτοῦ κινούμενον, corpori insitum esse, et actiones ejus aliquas, in morbis observatas, excitare et dirigere credunt.

Nonnulli auctores hanc sententiam confirmare nisi sunt, connectendo eam cum notitia quam habemus de viribus animalibus, et principio vitali, quae origines motûs haberi

solent, in actionibus corporis consuetissimis. Atque alii, eodem certe consilio, ad imaginationem adhuc magis vagam confugere, quae hanc energiam eandem esse fingit, ac animationem rationalis. Ex iis autem, quae jam dicta sunt, haec commenta aliena esse, et nihil ad rem attinere, perspicuum mihi videtur.

De doctrina ipsa, ope aliena privata, pauca habeo quae adjiciam argumentis supra adhibitis, cum quaererem an recte appositum fuisset nomen causis motuum salutarium.

Nullis experimentis aut observationibus inniti hanc doctrinam bene notavit Hoffman. “ Verum enimvero primum omnium desideratum est, ut existentia ejusmodi principii, sensu et estimatione quae sunt et fiunt intra corpus omnium, imbuti, et quod intentionem et proaeresin habeat, *claris argumentis demonstretur*. Nam eadem facilitate ac li-

bertate qua id affirmari, illud quoque negari et rejici potest *."

Argumentum a posteriori, quod causam intelligentem existere concludit a signis observatis quae consilium indicant, non quidem invalidum est, sed malè collocatum. "Providentiam Naturae diligentem et solertem" in functionibus corporis humani administrandis, tum in sanitate, tum etiam praecipue in morbis, ut in aliis Naturae partibus, clarissime perspicui, nemo qui aequo et ingenuo animo huic studio incubuit, negare potest. Falluntur tamen, ut opinor, qui observantiam huic providentiae conciliare volentes, phaenomena eam indicantia principio intelligentia praedito hic vel illic agenti tribuunt, neque memorant, principium intelligentia praeditum agere ubique terrarum. Melior certe conclusio Plinii, "Morbis quoque quas-

* Comm. de Diff. &c. § 77.

dam leges *natura* imposuit.” Melior sententia Ciceronis. “Omni ratione concluditur mente consilioque *divina* omnia in hoc mundo ad salutem omnium conservationemque admirabiliter administrari*.”—Causa, igitur, jam reddita est, principio innitens cujus veritas ut comprobetur nil opus est nostro testimonio, et quae ad phaenomena explananda satis superque valet, causa scilicet quae agit secundum leges ratas, fixas, generales, quales comprehendere possumus, et quarum scientia tum solum est philosophiae propositum, tum nobilissima distinctio gentis humanae.

Defendi nequit, me quidem iudice, opinio eorum qui potentiam vel *ερεργεσιαν* moventem legibus generalibus haud subjectam mutationes salutes inducere putant, donec has mutationes cum iis legibus non convenire probatum fuerit. Nihil ad rem confert dicere illas,

* De Nat. Deor. Lib. 2.

ut res nunc se habent, non esse explicatas. Inexplicabiles vocare, nequaquam licet, nam ad eam rem judicandam haud idonei sumus. Neque arduum esset ostendere, eventa nonnulla in morbis accidere, et ad finem salutarem conspirare, quorum ratio, quodam saltem modo, jam reddita est; alia autem quae ab iisdem causis proveniunt in exemplis quibusdam, ubi nullum bonum possunt afferre.

Documenta omnia hujus observationis in Scientia Medica invenienda recensere haud suscipiam;—pauca tamen citare haud alienum erit. Sufficiat notare, et peritorum judicio permittere, sequentia.

1. Processus quo sanguinis fluxus coërcetur*.

* Vide Jones "on Wounded Arteries."

2. Sanatio vulnerum *prima* (ut vocatur) *intentione** ; sive *Inflammatione adhaesiva*.

3. Corporum irritantium per suppurationem ejectio.

4. Partium *Sphacelo* correptarum decidium.

5. Sanatio naturalis aneurysmatis.

* “ The adhesive inflammation takes place in consequence of accidents, where it is impossible it should ever produce the same good effects ; but it is one of those fixed and invariable principles of the animal machine, which upon all such irritations uniformly produces the uniting process, though, like many other principles in the same machine, these effects are perhaps not so much required,” &c.

Hunter “ on Inflammation,” p. 368.

Quum ossa diffracta *callo* coalescunt, processus naturae simillimus videtur ei qui in vulneribus sanandis, partibus mollioribus, versatur. Atque haud secus, me iudice, exquirenda est ratio pulcherrimae provisionis, in morbo Necrosi nunc dicto, conspectae.

6. Sanatio ephemeræ infantium, et levatio symptomatum febris omnigenæ, a diarrhoea spontanea.

7. Sanatio naturalis plethoræ, hæmorrhagiis effecta; in cujus ratione reddenda, quanquam Cullen auxilium Vis Naturæ Medicatricis petivit, vix tamen necessarium videtur*.

8. Cursus naturalis paroxysmi febris intermittentis, in qua explicanda, dubium mihi videtur an minus quam Cullen, profecerit Hoffman, qui, hic ut alibi, Vim Naturæ Medicatricem a medicina theoretica reject†.

Quod vero de his exemplis, ni fallor, inventum est, de aliis, ejusdem generis, inve-

* Vide "First Lines," § 744. seqq.

† Vide Currie, "Medical Reports." Vol. I. p. 230. et seq.

niri potest. Regula interea memoranda, a Newton Philosophis commendata, “Frustra fit per plura quod potest fieri per pauciora.”

Altera interpretatio sententiarum quas supra citavi est, quod auctores qui eas protulere tantum asserere voluerunt, actiones quasdam corporis *eo* ordinatas esse, *ut* morbi evanescant.

Haec autem interpretatio si vera sit, dissertationes illae, in scriptis de re medica toties repertae, de repugnantia, scilicet, et renixibus naturae, de conatu naturae—de motibus, a natura excitatis—de mutationibus a natura effectis, et similibus—ad causam finalem tantum rerum quas observamus exponendam tendunt, neque in inquisitionibus physicis quicquam proficiunt.

Medicinae plurimum contulisset, si medici, a tempore quo floruit Bacon, studiis su-

periorum suorum in scientia nostra operam minorem dedissent, quam hominum doctorum ejusdem aetatis, in aliis rei physicae provinciis colendis se exercentium. In eundem errorem certe non incidissent quem veterum investigationibus de causis finalibus detexit et reprehendit, Pater verae Philosophiae.

“ Metaphysicae pars secunda est finalium causarum inquisitio, quam non ut praetermissam, sed ut male collocatam notamus. Solent enim inquiri inter physica, non inter metaphysica. Quanquam si ordinis hoc solum vitium esset, non mihi fuerit tanti. At haec ordinis inversio defectum insignem peperit, et maximam philosophiae induxit calamitatem. Tractatio enim causarum finalium in physicis inquisitionem causarum physicarum expulit et dejecit, effecitque ut homines in istiusmodi speciosis et umbratilibus causis acquiescerent, nec inquisitionem causa-

rum realium, et verè physicarum strenue urgerent, ingenti scientiae detrimento *.”

Illustrationes hujus doctrinae facillimum esset afferre, ex omni scientia humana—neque ab ullo, in rebus physicis versato, unquam negatur. Sed in medicina per longum tempus locum tenuit, neque penitus adhuc depulsa est, species haec et forma philosophiae, ex aliis scientiis diu et feliciter exsulans.

Observationes autem a scriptis Bacon citatae, ad eos tantum attinent, qui quanquam potentia sive ἐνεργεία movente salutare motus in morbis induci negant, nihilominus, de ratione ejusmodi motuum agentes, satis esse ducunt, ut viribus naturae referantur. Illis qui talem potentiam existere credunt, atque hoc solo munere fungi, quae habeo ut objicerem supra enunciata sunt.

* De Augm. Scient. Lib. 3. cap. 4.

Quae nunc dixi ostendere mihi videntur, auctores quibus adversatus sum, de viribus his naturae agentes, vel opiniones falsas recipisse—vel in dictione plurimum errasse. Donec scientia medica latius pateat, concludere, me iudice, oportet verbis Hoffman.

“ Quod vero nonnulli morborum sine medici ope sanescant, id adscribendum est Dei providentiae, quae inde maxime elucet, quod ipsi irregulares et praeternaturales in morbis motus praesertim accelerati in febribus et spasticis affectionibus, pro medicina et praesidio sint adversus causas morbificas, quas ipsi subindè corrigendo, resolvendo, temperando, vel excernendo abigunt, ut adeo saepius in *ipso morbo positum sit remedium adversus ipsum**.”

* Comm. de Diff. &c. § 185.

Paradoxon forsàn videbitur, sed, ni fallor, nequaquam a re aberrarem, si dicerem, terminationem solam morborum, in quibus indubiè observantur motus salutare, in sanitate esse positam; mortem autem casum tantum vel accidens esse, in morbis talibus contingentem, et nunc uni, nunc alteri, e mutationibus tribuendam, quae eos constituunt. Hanc sententiam haud alienam esse, neque in praxi inutilem, postea ostendere conabor.

Nullus equidem dubito, quin doctrina illa quam ad initium hujus dissertationis refellere conatus sum, quae scilicet (dictionis expediendae gratia, ut puto, primo instituta) causam proximam morbi semper unam et simplicem esse ponit, errorum omnium de causis sanitatis restitutae vera fuerit origo. Si enim haec vera sit, novam causam semper quaerere oportet discessionis morbi. Qui vero morbum a serie mutationum constare

credit, facile intelliget, has, rite peractas, in sanitatem pristinam corpus reducturas esse.

Unum tantum novi argumentum animadversionibus in verba auctorum quas protuli, objiciendum. Dicetur, forsan, auctores illos, cum de Viribus Naturae Medicatricibus disseruere, enunciare tantum voluisse, phaenomena iis relata ad exitum felicem inducendum utilia esse, et necessaria—itaque sententias suas de effectis, non de causis motuum quos observarunt, cum illis viribus has tribuebant, exposuisse.

A citationibus supra adductis, mea quidem opinione, satis constat hoc non fuisse consilium quo adhibita erat illa forma loquendi, in multis exemplis.

Operae autem pretium erit ad hanc objectionem animadvertere, quia sola videtur causa esse illius formae introducendae in

Theorias Morborum, derelicta hypothesi potentiae moventis (id quod a plurimis medicis nunc factum est) et rectè intellecta doctrina causarum finalium.

Hoc quidem sensu, cum phaenomenon viribus naturae referimus, ulteriùs non progredimur, quam Galenus in ratione reddenda concoctionis ciborum, quum affirmabat, ventriculum vi attrahente pabulum suum attrahere, retinente retinere, expellente expellere. Atque pari ratione, vel in hac aetate, defenderetur dictum illud “ Natura horret a vacuo.”

Verbis ita intellectis, nemo objiciet symptomatibus iis in quovis morbo viribus naturae referendis, quae originem certò ducunt a mutationibus ad finem salutarem necessariis.

Verba autem de quibus agitur minimè apta mihi videntur ad hanc sententiam exponen-

dam, quia significatione sua obvia et usitata, adhibita, haud paullò plus exponere solent. In omnibus hujusmodi exemplis metuendum, ne in sensu populari, et usu quasi constituto, accipiantur hujusmodi verba, neglecto strictiore et magis philosophico ipsorum sensu.

Neque multum interest in ratione morborum reddenda, utrum symptomata ulla, hoc verborum sensu, Viribus Naturae Medicatricibus referre liceat, necne; quanquam in prognosi sumenda magni sit momenti.

Adhuc gravior autem causa dari potest, quo minus, vel in sensu hoc strictiore, loquendi forma de qua agitur, in medicina theoretica adhibeatur. Si enim omnia quae morbum constituunt, phaenomena, a causis ejus remotis secundum leges fixas, quasi insequentes, spectari debeant, (saltem donec ratio data fuerit aliter judicandi,) non solum exitus secundus

referri nequit potentiae cuidam his legibus non subjectae; sed nequaquam fieri potest, ut mutationes quibus pendet talis exitus, diversae sint ab aliis in morbis effectis;—ergo impossibile est limites ponere inter eas, quae hoc sensu, a viribus naturae pendent, et eas quae strictius morbidae habendae sunt. Haec vero si ita sint, vel omnes in morbo mutationes, vel nullas, a viribus naturae dirigi, concludere oportet.

Quanquam, igitur, rejectionem formae illius loquendi, de Viribus, scilicet, Naturae Medicatricibus, Autocrateia, &c. a parte Theoretica Medicinae, proponere non audeo, puto tamen nunquam rectè illic adhiberi; neque dubito, quin etiam in praxi medica tractanda, cum res observatas, quae huic origini referri solent, animadvertere oporteat, alia vocabula, haud minus perspicua, neque exceptionibus adeò obnoxia, eò sufficiant.

In parte itaque sequenti hujus dissertationis, cum de natura agetur, ab arte distincta, ut ad sanationem morborum conferente, mutationes in morbis accidentes denotare quidem volo, quae finem salutarem inducere creduntur. Quoniam verò nondum probatum est inexplicabiles esse has mutationes eadem ratione qua reliqua phaenomena corporis humani explicare nitimur; et causa finalis ad explicationem nihil confert; effecta physica esse, et ab actione causarum remotarum ultimò provenire ducò.

IN parte secunda hujus opusculi, de utilitate notitiae quam habemus de cursu naturali et exitu fausto morborum, et de ratione acquirendi, et in medicina practica adhibendi, eam notitiam, in singulis morbis, disserendum est; et magna pars hujus negotii jam ex sententia perfecta est. Quoniam vero, necesse foret me limites huic tentamini impositas longè transgredi, si vel partem eam incepti mei pleniùs tractarem, totum illum argumentum, quanquam levitè, percurrere malo.

Cum res medica nova erat et inculta, actione remediorum et cursu naturali morbo-

rum paritèr ignotis, noceret sine dubio saepius quam prodesset, ars humana. Prudentissimi, itaque, et felicissimi essent ii medici qui institutis naturae in salutem tendentibus spem maximam ponerent. “ Illud admonere satis est,” ait Quinctilianus “ omnia quae ars consummarit, a natura originem duxisse, aut tollatur medicina. Nam et vulnus deligavit aliquis, antequam haec ars esset, et febrem quiete et abstinentia, non quia rationem videbat, sed quia id valetudo ipsa coëgerat, mitigavit*.”

Observationes ideò veterum medicorum de hac re majoris sunt pretii quam alia quaeque pars scriptorum quae nobis tradidère. Dubitare autem licet, an opera eidem rei dedita in temporibus recentioribus, paritèr profuerit. Doctrinae Hippocraticae ab Asclepiade objectum erat, quod nihil aliud erat

* Instit. Lib. 2, Cap. 18.

nisi mortis contemplatio (θανάτου μελέτη). Altera autem ex parte respondendum est, eum qui ad exitum lethalem morborum animum attenderat, finem eorum salutarem necessariò etiam notasse, hanc autem notationem initio artis, utilissimam esse omni medico. Vix tamen eadem ratione defendi possunt medici recentiores, eidem reprehensioni obnoxii; non facilè enim credere possumus, notitiam de natura, actione, et utilitate remedium comparatam, pro nihilo esse habendam.

Quantum apud medicum valere debent inclinationes naturales morborum in salutem, nullo modo, ut opinor, meliùs intelligetur, quam si modus operandi remedium perpendatur.

1. A remediis ritè adhibitis, morbos nonnullos aliquando sisti et abrumpi novimus. Febres praesertim, et inflammationes, modis

diversis discutiuntur; ita ut symptomata quae sub initio morbi apparere solent, totum nunc constituunt. Remedia quae tales mutationes efficiunt actiones ipsas morbosas sine dubio attingunt, et motus salutare non promovent, sed impediunt et arcent. Exempla sunt, discessio subitanea febris post actionem emeticorum, post catharsin validam, detractionem sanguinis, vel aquae frigidae affusionem; et repulsio inflammationis detractione sanguinis, et medicamentis sedantibus extrinsecus, admotis.

Talia remedia non nisi in certis morbi gradibus utilia reperiuntur; neque in omnibus exemplis, debito quāquam tempore adhibita, aequè valent.

2. In exemplis nonnullis, motus salutare imitari possumus. Documenta, ut verisimile est, praebent sanguinis detractio, et remedia quae sudorem excitant, vel alvum solvunt.

“ Rerum quoque noxiarum fastidio, medicamentum appetentiae,” a Gaubio inter Vires Naturae ordinatis, necesse est ut ferè semper indulgeamus.

Actione remediorum ita a natura indicatorum certiores redduntur conatus, ejus ad morbos amovendos. In medicina facienda, ni fallor, semper anteponenda sunt haec remedia ipsis naturae institutis. Saepe enim, cum prodesset mutatio quaevis naturalis, haud efficitur; saepe accidit haud postulata; saepe votis medici haud respondet.

3. *Directio*, sive gubernatio processuum naturae medentium pluribus exemplis, ut notavit Cullen, frustra tentatur. Notitia enim quam habemus, tum de istis processibus, tum de effectis remediorum, ad praxin talem dirigendam nequaquam sufficit. In Chirurgia, tamen, feliciter saepe mutationes salutares ad finem optatam arte perducun-

tur. Natura quidem processuum adhuc latet, sed processus ipsi, consilium eorum, resque ad id perficiendum necessariae, ita obviae sunt, ut gubernare possumus, etiam cum adjuvare eos frustra nitamur. Praxi hujus artis itaque multum profecêre recentiores, non quidem cursu naturae promoto, sed ademptis impedimentis, ei inceptis veterum allatis.

4. In exemplis autem plurimis motus salutare in morbis *adjuvare* possumus. Tribus praecipuè modis hoc fieri potest.

Imprimis, remedia sunt multa, et saepe praestantissima, quae morbidas actiones directè quidem afficere videntur, sed morbum penitùs depellere nequeunt; quae igitur motus salutare non modo non arcent sed *promoveant*. Sanguinis detractio rarò inflammationem subito tollit; neque ulla remedia suppurationem inducere possunt, nisi adsit pro-

clivitas naturalis in eam. Exempla ejusdem generis sunt omnia remedia in febribus, ut jam dictum est, utilissima, sed quae, paucis post morbi accessionem diebus, ad levandam eam tantùm valent.

Secundo, plurima remedia mala potius amoveant, quam bona afferunt. Causa excitans morbi cujusvis facto jam morbo perstans, eum magnoperè auget. Quod de ea verum est, quodammodo etiam extendere licet causis omnibus inferioribus in eundem conspirantibus effectum, et rebus in aegri conditione quae istum effectum augere possunt. His amotis, actiones ipsae morbidae brevi mitescunt. Hoc autem proposito multa adhibentur remedia. Aër purus et frigidus, in febribus et in exanthematibus admissus, calore, et effluviis forsan pestilentibus, amotis, praecipuè prodest. Regimen antiphlogisticum irritationum evitatio accuratè definitur. Exempla ejusdem generis

sunt, coeli mutatio, vel saltem aëris calidi
usus, in Phthisi pulmonali; et cathartica in
febris, praesertim in gradibus proVectiori-
bus Typhi. Consilium etiam medendi sae-
pissime adhibitum, levatio scilicet symptoma-
tum, hic ordinari potest. Sitim restinguen-
do, dolores leniendo, somnum conciliando,
non solum cruciatus aegri mitigamus, sed
irritationem molestissimam amovemus.

In exemplis nonnullis, utrum irritationibus
amotis, an ipsis actionibus morbidis muta-
tis agit remedium, difficile est judicare.
Utrumque consilium autem optimè congruit,
neque quicquid valet distinctio nisi in modo
operandi remediorum investigando.

Tertio, nullum processum naturalem rectè
progredi notum est, nisi corpore toto inhae-
reat vigor aliquis et robur, quod mutationes
morbosas ferre valeat. Constitutionis robur
maximi esse momenti in morbis ferè omni-

bus quotidie observamus; et documentum quidem eximium utilitatis providae naturae in morbis sanandis praebet observatio. Haud igitur mirandum, consilium medendi frequentissimum et utilissimum, nonnunquam quidem solum, haberi virium confirmationem.

In morbis praesertim acutis, cum exitus jam expectatur, actionibus morbidis penè defervescentibus, viribus autem naturalibus nondum redintegratis, remedia tonica (potius forsā stimulantia) locum habent, et maxime prosunt. Proclivitati ad mortem, ut dicit Cullen, obviam eunt, quo facto, institutis naturae sanatio perficitur.

Duas inquisitiones instituere oportet, de motibus salutiferis in unoquoque morbo,

theoreticam, scilicet, quomodo efficiuntur?
et practicam, quantum apud medicum valere
debent?

I. Si mutationes quibus pendet exitus secundus ullius morbi, partem ejus constituere censendae sint, et e natura rerum iis consequantur, quae strictius morbidae existimantur, necessariò exinde sequitur eadem ratione aggrediendam esse explicationem earum, ac aliarum quae se extrinsecus manifestant mutationum. Ratio symptomatum, igitur, non prius absoluta habenda est, quam exitum faustum morbi comprehendat.

In causis discessionis morborum indagandis, symptomata prognostica attentionem praecipuè merentur, quippe quae, cum eventum felicem denunciant, eum vel inducere, vel comitari, ut earundem causarum effecta, censenda sunt; cum vero sinistrum omen prae-

bent, impediunt cursum naturalem vel hunc impeditum consequuntur.

Sin autem eventum secundum morbi referre semper oportet energiae cuidam quae nulla symptomata verè morbida inducit, phaenomena ita explicare frustra conabimur; et in ordine mutationum, secundum leges solitas, indagando, defectus, et quasi hiatus observabitur, ubi scilicet haec energia agere incipit.

Quae si ita sint, aequum videtur expectare, restitutionem sanitatis maxime probabilem fore, cum illa vis manifestissimè se ostendat, et actiones quibus debetur depulsio morbi clarae sint et dilucidae; prognosin itaque eventus secundi desumendam fore a signis quibusdam conspicuis, quae renixum validum contra morbi cursum ostendunt.

Perspicuum autem mihi videtur, mortem nunquam certiùs evenire, quam cum mutationes, quibus restitutio sanitatis in aliis exemplis debetur, quatenùs progrediuntur, manifestissimè se ostendunt. Et confitetur Cullen, in morbo summi momenti, febre scilicet, prognosin potius sumendam esse a symptomatibus quae morbum levem vel gravem esse monstrant, quam ab ullis quae actionem naturae praecipuè indicant.

Hoc quidem notavêrunt medici qui doctrinam illam tuebantur. Hinc orta est opinio eorum, actionem a natura excitatam nimis validam aliquando esse, et plus periculi minari quam ipse morbus. Hinc etiam attributa illa Archaei, sive naturae, auctorum,—error,—iracundia,—contumacia, &c.

Qui vero omnes mutationes in morbis observatas a causis eorum remotis paritèr oriri credunt, facillimè intelligunt, violentiam ea-

rum periculum habere, itaque maximum fore hoc, cum illae solito ordine sed impetu solito majore progrediuntur.

Qui huic sententiae favent virium naturae in ordinem digestionem, qualem aggressus est Gaubius, nequaquam approbare possunt. Initio saltèm investigationis, totidem censeri debent, ac morbi quibus se ostendunt.

II. Medicum qui institutorum naturae debitam habet rationem, “ a duplici errore cavere oportet, neque vires naturae spernere, neque nimis religiosè colere *,” neque eas semper sibi subjectas, neque se semper illis *συνεργον* esse ducere ; sed cursum morbi nunc sistere conari, nunc promovere.

1. Imprimis considerare debet, an remediis ullis, sive propria experientia notis, sive

* Consp. Med. Theor. § 64.

quae mutationes naturales referunt, actionibus insolitis obviam ire possit, itaque naturae instituta praevenire, et venienti morbo occurrere.

Notitia, enim, quam habemus, de discessione naturali cujuslibet morbi, nequaquam, per se, rationem dat, quo minus adhibeantur remedia, vel fortissima, ad eum sistendum vel superandum. Si haec morbum reverà depellunt, hoc necessariò faciunt, vel, propria quadam vi, actiones morbias afficiendo, vel cursum morbi naturalem promovendo. Si illo modo agunt, supervacua fit provisio naturae, si vero hoc modo, ei tantum subvenitur. Nusquam talia remedia institutis naturae adversari possunt. Neque exempla pauca sunt morborum, saepe sine arte sanatorum, in quibus tamen mutationes aliquando eveniunt, quae in aliis eorundem morborum exemplis vitam extinguunt.

Quapropter etsi rationi et experientiae consentaneum videtur, sanationem morborum arte medica aggredi, etiam qui natura saepe decedunt, multi tamen auctores contendunt, remedia fortia haud sine periculo in morbis sistendis adhiberi. “ Vereor,” ait Nichols, “ ne anima vel suo modo morbos, vel nullo, depellendos plerumque velit.”

Frustra de hac re syntheticè, vel a positis et fixis principiis disputatur. Principia enim, a quibus initium argumenti ducere oporteret, a rebus observatis ejusdem generis ac iis de quibus agitur, assumere necesse esset. Experientia autem satis comprobatum esse videtur, multo majora et frequentiora pericula morbum naturae commissum insequi, quam arte, ubi fieri potest, depulsum.

De nullis certe morbis saepius praedicata est doctrina supradicta, quam de febre inter-

mittente, et de Arthritide. Testimonium autem de his morbis habemus, auctoris quo nemo his temporibus extitit peritior, nemo sagacior, vix ullus aequè ingenuus.

“ Jam diu mihi persuasum est febrem intermittentem tuto finire, quam primùm id fieri potest. Multa autem mala oriri vidi ubi aegri diutiùs cunctati sunt accessiones prohibere *.”——“ Utinam tam in promptu esset invenire, quam tutum adhibere, podagrae remedium †.”

Tutò et utilitèr, in multis exemplis, morbos subito depelli, nemo dubitare potest, qui secum reputat, saepissimè cursum naturalem in iis ipsis morbis ubi clarissimè observa-

* Heberden, Comm. p. 159.

† Ibid. p. 43.

Opinio certè diu valuit, neque adhuc ab omnibus derelinquitur, quae non solum mala a morbis subito depulsis oriri docet, sed etiam bona a morbis naturae commissis. Secunda pars doctrinae observatione morborum a Plethora pendentium originem duxit. Hi interdum conditionem plethoricam amonent, et salutem igitur aegri, pro tempore, quodammodo reficiunt. Tantùm, autem, ex casibus hujus generis concludere licet, mala ab iis morbis orta, minora esse quam alia actione earundem causarum expectanda. Siquis plethoricus fiat, epistaxis vel haemorrhoids in eo potius optanda, quam apoplexia, vel hemiplegia; atque si nullo alio modo arcenda esset apoplexia quam istis haemorrhagiis, melius foret eas sinere progredi, quam sistere; optimum autem foret, causa communi (plethora scilicet) amota, utrumque malum evitare, neque sinere, ut vel unum adsit, vel alterum immineat.

A theoria illa, supra citata, quae morbos refert conatibus naturae ad materiam noxiam expellendam, orta est utraque opinio nunc reprehensa. Si materia peccans, morbo arte depulso, non se ostendat, statim concluditur (secundum hanc doctrinam) illam, corpore inclusam, gravius huic malum mox illaturum esse; neque alia causa quaeritur mali ullius insequentis, etiam ubi causa alia manifestissimè pateat.

Confiteri, tamen, necesse est, eos qui morbos arte repulsos incusavêre, haud semper errasse.—Exempla sunt, Erysipelas, Podagra, Cynanche Parotidaea. Inquisitionem amplam postulat haec res, sed exemplis hujusmodi, etiam nunc, facilè accommodatur praxis.

2. In morbis omnibus (praesertim in acutis, ubi scilicet declinatio naturalis praecipuè

2. In morbis omnibus (praesertim in acutis, ubi scilicet declinatio naturalis praecipuè observatur) oportet medicum multa institutis naturae committere.

In exemplis enim multis nulla remedia in morbis sistendis certè efficacia novimus; in aliis fortis remedii usus magis metuendus est quam morbus ipse—in nonnullis, a repulso morbo eventum aliquid infelix insequitur. Neque ullum remedium omnibus morbi gradibus aequè convenit. Idoneo praeterito tempore, inutile fit, aliquando etiam periculosum vel optimum remedium. “Nullum medicamentum cognosco,” ait Boerhaave, “quin solo tempestivo usu tale fiat*.” Eodem quoque sensu, ni fallor, intelligi debet illud Celsi “Repugnante natura, nihil medicina proficiat †.”

Neque obliviscendum est, perfectam restitutionem sanitatis magna ex parte naturae

* Aphor. Prefat.

† Lib. 3. cap. 1.

semper deberi. Vix ullis remediis reficiuntur vires, aut revocatur cibi appetentia : morbo amoto, sine cura ulteriori haec efficiuntur. Ars quidem aegritudinem adimit, sed natura sanitatem reddit—Id quod notaverat Gaubius, cum facultatem nutrientem inter vires suas medicatrices ordinabat.

Hoc igitur consilio ad decursum naturalem morborum attendere oportet, non quidem ut in desuetudinem abeat vel unum remedium potens, sed ut in iis exemplis tantum adhibeatur ubi reverà necessarium est, et utile, aut ubi incommoda eo inducenda leviora videntur illis quibus adversari destinatur ; sic enim optimè evitantur mala usum talis remedii insequentia ubi effectus optatus sine eo haud dubiè accidere potest, aut in exemplis (nisi manifestè periculosis) ubi nondum satis tentatur.—Sanguinis detractio in febre continua, diatesi phlogistica quamquam comitata, saepe omittitur, non quia

in ea conditione superanda inutilis existimatur, sed quia ea conditio ordine rerum naturali sua sponte abit, et alia et diversa symptomata insequuntur, usu istius remedii pejora futura.

Si igitur frustra tentata fuerint remedia ad morbum sistendum idonea, vel si, ob causas jam memoratas, non adhibita fuerint, tum naturae institutis summa ope favere et succurrere oportet. Tunc in animo habenda remedia, sive eadem ac nuper diverso consilio tentata, sive alia, quae impetum morbi propria quadam actione minuant, et mutationes salutare, mox e natura rerum insecuturas, promoveant;—proximè ea, si quidem ulla sint, quae, dirigendo scilicet, eas certiores et efficaciores reddant;—deinde ea, quae causas nocentes et irritationes amoveant;—denique ea, quae vires corporis restituant, quibus deficientibus nulla mutatio salutaris efficitur.

Cum nulla remedia his consiliis indicari videntur, medicus qui ad Naturae instituta animum attenderit, aegrum medicamentis non lacesset, et naturam, cum adjuvare nequit, non turbabit.

Ad judicium medici de utilitate provisionum naturae ad morbos depellendos nihil aequè conducet, ac expositio idonea, tum mutationum in specie morbi quae restitutionem sanitatis praecedunt, tum quoque earum, intra corpus progredientium, de quibus pendent illae. His enim exploratis, artificium conspiciemus ad omnia artis medicae proposita saepissime valens. Imitatio ejus accuratior et utilior erit, neque directionem semper frustra aggrediemur.

Doctrina eadem, vana et fallax ut mihi videtur, quae discessionem naturalem morborum potentiae cuidam in corpore insitae referebat, rem potius inani miratione dignam


effingit, quam verae scientiae propositum. Miranda quidem est, et summo honore habenda, sed exploranda etiam, et in usum, ubi fieri potest, convertenda—Neque dubito quin si labor omnis in praestantia universali “Virium Naturae Medicatricium” vindicanda frustra impensus, in naturam earum indagandam intentus fuisset, jampridem satis superque comprobatum fuerit dictum illud “Curiosa Naturae observatio, imitatio, ut primam Arti originem, ita incrementa dein dedit, deditque porro. Medici Naturae Ministri*.”

* Gaubius. Pathol. § 18.

FINIS.









ms. 5183

98
15

